Salutem à Domino Jesu

Mi cordialissime Dñe Compater. Quod tu mihi pollicitus fueras, singulis sc: septimanis ad me litteras daturū, ego quae tu non promissas servabo. Binas, ternas, quaternas, credo te à me accepisse, quibus de rebus meis te certiorem feci. Hanc meam sollicitudinem apud me parit non metus non desiderium potius, fati mei: qua in dies, imo horas metuo, ne non εἰρωνευομένη mihi faciat, quod omnibus μερόπεσσι debet. Ah quaeso, cor meum, cur me tam diu in suspenso detinetis, nec me voti mei compotem facitis, siquidem vultis canos meos ornare aut coronare? Sin minus, dicite, dicite. Tunc ego, ut saepius ad te scripsi, contentus ero ἰδίῳ καὶ ἀμαράντῳ στεφάνῳ τῆς δικαιοσύνης. Velim tamen sic ornatus migrare ex his terris et ornatus ab ea academia, quam ego ut Matrem meam pientissime colo: et cui gratam animi mei significationem satis puto me declarasse, oblatione tenuis meae οὐσίας, modo agnoscere voluisset. Tu quaeso, mi cordialissime Dñe Compater, vide, ut intelligam, quid ἐν τῷ ἀξιώματι facturi sint et ad me instrumentum DOCTVRAE per veredariū mitte, aut scribe in quo cardine res vertet. Sic mihi in aeternum charus eris, et ego gratus in te. Caeterum summa et intolerabilis egestas Collegii nostri tuam implorat εὐσπλαγχνίαν, ut litteras hic adjunctas suo loco velis promovere et tuo quoque suffragio singulas juvare, ut illis vel modico subsidiolo succurri queat. Extrema profecto est necessitas: qua omnes ad famem usque sunt redacti.‡ Plerique sunt πολύτεκνοι, alii summi inopes sine omni patrimonio. Itaque rogarunt me, ut illorum causam scripto velim agere. Quod προθύμως πάλαι feci. Tu quaeso idem facias: et crede, te apud singulos magnā initurū grām. Omnes nam te honorant et quotidie ap. me praedicant tuam erga exules προθυμίαν, quam et ego laudare possum, et gratā atque aeternā mente agnosco. Vale mi charissime et animitus dilecte Compater et

‡ qua stipendia nobis nulla praebentur, ob reditiū inopiam ex communi πανολεθρίᾳ.

me recrea extremo honore capitis mei senilis.
Ah rescribe citò et seniculū meum Pareū exhilara. Hanovio à d. 6 Martij 1647.

A Monsr. citò Tuissimus Pareus.
Monsr. Toussain Regent du College
à Basle.

330 S. pl. Vir Rev: et Cl. fautor pl. honorande.
Interrogavi Ampliss. D. Consulem Rhanium, an in comitiis cum civitatum legatis actū fuerit de bono illo adolescente, q subsidium aliqd sumptuum in Academia vestra ferendorū petiit. Is humaniss. respondit, illius se minimè fuisse oblitum, D. ab Erlach, Bernensem Praetorem ad Ampliss. Reip. suae Magistratum se relaturum dixisse, Donor Schaffhusianer 10 fl. pollicitos esse, D. Basileenses in suo jam ad collegio retulisse. Ampliss. noster Magistratus sua liberalitate minimè ipsi deerit. Hac de re monendus erit Cl. D. Fulhardus ut apud Inclytum suum Magistratum simile ei beneficium impetret, quod te facturum non dubito. Ego q benevolentia nostra illum amplectitur, proximè ad eum scribam. Scripsisti non ita pridem de libro quodam viri Reverendi generi tui scripto, de quo sententiam suam nobiscū communicarunt venerr. Fratres Genevenses, ipsū verò librū nondū videre licuit. Utinam verò quorū Authoritate in civitatibus qbsdam imperialibus demagogi furiosiss. compescebant, in qbs aeque boniq. nihil sperari potest. Vale Vir Clariss. Data 2 Aug. 1647.

ad D.D. Tossanū Te oi obsequio
Basileam. Joh. Rod. Stuckius

331. S. pl. Vir Rev: et Cl. D. et fautor plurimum Colende
literis tuis humaniss. scriptis nihil mihi potuit accidere gratius, qn video te silentium meum non sinistrè interpretare. Non enim tu sed ego potius accusandus, q Donis Swebelius consilium, quod pollicitus fui non dederim, sed nihil fortasse periculi hac